



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 4. Mores Gallorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

§. 4. *Mores Gallorum.*

His complectemur, vitia, virtutes, vestes, arma, domus, victum, funera.

NVM. 1. *Vitia Gallorum.*

Dvo maximè recensentur, quòd crudeles, quòd imprudentes; ad imprudentiam leuitas reuocatur.

CRVDELITAS elucebat in quatuor. 1. Quòd in caluariis hostium auro exornatis biberent; quòd illustrium virorum capita non redderent, nisi tantumdem auri rependeretur; ita *Strabo & Linius*. 2. Quòd homines Diis suis immolarent, sagittis conficientes, aut agentes in crucem, aut in colosso ligneo cum animalibus comburentes. 3. Quòd ex palpitatione, & sanguine morientium ariolarentur. 4. Quòd ad consilia bellica extremum qui veniret omnibus suppliciis tortum enecarent. *Cesar*.

IMPRVDENTIA ex quatuor capitibus probatur. 1. Quia animo magis quàm ratione pugnabant, *Polybius*: & μετὰ ἀεισέλειας, inconsideratè, *Strabo*, quare facillimè à Romanis deuicti. 2. Quòd peregrinos & mercatores interrogarent, & rumores ab iis sedulò expiscarentur, & his auditionibus permoti de summis sæpe rebus deliberarent: ita *Cesar* & plerique alij. 3. Quòd mulieres suas in consilium adhiberent, & ex earum arbitrio bella committerent, *Plutarchus*, & *Polyenus*. 4. Quòd vicinis læsis illicò currerent ad arma, quasi ipsi læsi essent; ita *Cesar*.

NVM. 2. *Virtutes Gallorum.*

FORTITVDO prima & propria Gallorum erat: μαχηταὶ πάντες τῆ φύσει, *Strabo*, qui etiam vocat τὸ φύλον ἀρειμόδιον ἔ θυμικόν, ideòque à Romanis coactos esse γαργύειν. Mortis erant supra modum contemptores; vnde & collabentibus domibus, aut ardentibus non fugiebant, *Alianus*. Leuem retrocessionem in bello magno probro ducebant, *Leo Imperator*. quòd spectat istud Flacci,

*Non pauentis funera Gallia.*

Inde inter se facillimè decertabant, aliquando pro femore pedis, quod strenuissimus rapere solebat; hoc sibi si vendicaret alius

cum eo vsque ad mortem depugnabat. Eodem pertinent *Soldurij* Cæsaris, *Siloduni* Athenæi, qui se deuoueabant non redituros ex acie nisi victores. Hinc Romanis tantum terroris incusserunt, vt lex quæ eximebat sacerdotes, & senes à militiâ, nominatim tumultum Gallicum exciperet; & posterioribus temporibus eorum equitatus magnâ ex parte Gallicus esset. Non est tamen negandum habuisse aliquid cum suis niuibus simile, sudore & æstu statim defecisse, primum imperum fuisse quidem plusquam virorum, sed secundum minorem quàm fœminarum, *Linus*, *Florus*, & alij Romani scriptores.

SIMPLICITAS ἀπλῆν ἢ ὀκακόντες φύλον, *simplices & minimè mali*, *Straboni*, ideòque facilè conueniebant, faciliùs persuadebantur. *Hirtius*, homines aperti ac minimè insidiosi. In conciliis cuique licebat repugnare, sed si quis importuniùs obloqueretur accedebat ad eum licet stricto ferro minitabundus, si pergeret tantumdem ex eius sago rescindebat, vt reliquum esset inutile.

HOSPITALES, grauiùs animaduertebant in eum qui peregrinum, quàm qui ciuem cecidisset: huic enim exilium, illi mors irrogabatur, *Stobæus*. Huc quoque spectat *Heraclea* via per Celtas ex Italiâ ad Celtiberos strata, in qua indigenæ transeuntes obseruabant ne quid mali paterentur: quia lege pœnas pendebant in quorum finibus admissum esset maleficium: *Aristoteles*.

SOBRII dant operam ne sint obesi μήτε περιγεσσαι, & si quis adolescens mensuram excederet zonæ sibi præscriptæ, multabatur. *Ephorus apud Strabonem*.

CASTI, prolis tantum causâ Veneri indulgebant, *Iulianus*. Itaque quod ait *Strabo* de prostituentibus τὴν ἀκμὴν adolescentibus, παιδεγεία, de quâ *Aristoteles*, & *Athenæus*, pueri nubentes de quibus *D. Clemens*, & alia eiusmodi naturæ ludibria ad *Massilienses* amandanda, qui Græcorum oribus inquinati erant: alioqui quomodo tam populosa fuisset *Gallia*?

LITERARVM AMANTES: 1. Habent facundiam suam, magistròsque sapientiæ *Druidas*, *Mela*. 2. Omnes eloquentes, *Gallia* vel potius *Nutricula* *causidicorum*, & *Gallia* *causidicos* docuit *facunda Britannos*, &c. 3. Ciuitates conducebant *Medicos* & *Sophistas*. 4. *Strabo* & *Diodorus* à doctrina minus alienos faciunt. Mirum ergo cur eos *Seruius* ingenij pigrioris, *Firmicus* stolidos, *Iulianus* stupidos appellent.

N V M. 3. *Cultus & vestes.*

*Proceri* erant omnes Galli, ideóque Romanos contemnebant; *Cæsar*, *Hirtius*. *Candidi* lactea colla auro innectuntur, *Virg.* Comam alebant, *Strabo*, *Liuius*. Capillos duriores reddebant vt coma arre-cta stare posset, *Diodorus*. Aurea ferè seu flaua cæsaries. Barba promissa, *Liuius*: *Diodorus* tamen ait Nobiles genas radere, barbam autem sicalere, vt cibo potúque inficiatur.

VESTES eorum: 1. Sagum, Virgatis lucent sagulis. 2. Vestis fissilis manicata ad nates demissa *vn Instacorps*. Dimidiásque nates Gallica palla tegit. 3. Bardocucullo Santonico utebantur. 4. Braccas induebant vel laxas, vel circum extensas. 5. Vestem ex lanâ, lanâ vocabant, seu vt vult *Casaubonus* Chlenam.

N V M. 4. *Arma.*

*Scutum* longius, sed breuius ornatum animalium formis paulum extantibus, item & corallio. *Liuius*, *Polybius*, *Plinius*.

*Galea* ærea paulo eminentior dicta *Mirmillonium*, in qua quadrupedum & volucrum effigies, itémque cornua, *Diodorus*.

*Gladus* longus, grauis, sine mucrone, malè fabricatus, ex molli ferro, *Liuius*, *Plutarcho*, *Polybio*: ærea catena ex dextro latere pendens, *Diodoro*: Corallio ornatus, *Plinio*.

*Currus Rostratus*: Couinum Belgis, aliter *Essedum*. In pace *Rheda* erat virorum, *Petorium* fœminarum.

*Tela* variis nominibus dicta *Gæsa*, *Cataya*, *Materis*, seu *Meris*, *Cæsari* *Matura*. At *Groffæ*, & *Spari* leuiores sagittæ.

*Cansibus* item pugnant, *Strabo*, & *Diodorus*.

N V M. 5. *Domus & Lectus.*

*Domus* sæpe in syluis, aliquando ad flumina æstus vitandi gratiâ Stramento eas operiunt, *Cæsar*. Rotundæ sunt magno imposito fastigio, *Strabo*. Ianuas numquam claudunt, *Stobæus*. Villas habent, sed nullis mœnibus septas, imò & vrbes muris cingere à Græcis *Massiliensibus* tantùm didicerunt.

*Lectus*. In terra super strato gramine dormiunt, *Cæsar*. In ferarum pellibus, *Polybius*.

N V M. 6. *Victus.*

1. Sedendo cœnant in solo super pellibus luporum & canum in medio præstantissima sedes, *Strabo, Diodorus*. At eis thoros etiam assignat *Diodorus*.

2. Ministrant eis iuniores in ætate tenerâ, & hi vasa bibentibus circumferunt, *Strabo*.

3. Multis patinarum loco sunt canistra lignea, vitilibus contexta. Bibunt autem in vasis fictilibus, aut argenteis instar ollæ.

4. Panem fermento leuiorem faciunt, *Plinius*.

5. Delectantur suillis carnibus tum recentibus, tum salitis. Item & feris quas sagittis interficiunt illitis veneno, sic enim earum carnes fieri teneriores arbitrantur, sed illicò vulnus circumcidunt, ne caro putrescat. Carnem autem hanc aut elixam, aut prunis assam, vel veru circumactam comedunt; artus integros ambabus manibus tenentes more leonum dilaniant, si quid ægriùs reuellatur, cultero præcidunt. *Athenæus*.

6. Potus ditioribus vinum Italicum, ei paululum aquæ infundunt, idque *Dercoma* nominant. Item ex hordeo zythum conficiunt: Itemque multiplices potus effinxerunt ad vini formam, *Ammianus*. Sorbillant autem paulatim pitissantes.

N V M. 7. *Funera.*

1. Magnifica sunt; omnia quæ grata fuerunt demortuo cum eo comburuntur, imò & animalia, ferui, clientes; *Cæsar*.

2. Defodiunt & cum ipsis apta viuentibus; *Mela*.

3. Immittunt epistolas in amicorum pyram, & aliquando se in eam præcipitant; *Diodorus*.

4. Reseruabant exactionem crediti, & mutui ad inferos; *Valerius Max.*

5. In Busto virorum fortium pernoctabant, & inde oracula capiebant, *Tertullianus*.

§. 5. *Merces Gallia.*

1. LINVM ad vela conferenda, *Strabo & Plinius*.

2. Pernæ exquisitissimæ *Athenæo & Varro*; hîc enim altitudine sues præcellunt. Item afferbantur Romam, *Varro* teste, cum